



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ
Deuotæ**

Richeome, Louis

Coloniæ, 1610

De peccato mortali & veniali. Colloq. LXXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)

nunc quemadmodum mors contra mortem prælietur. Vides quomodo peccatum originale mors animæ sit, quomodo per merita filij DEI abluatur, quomodo illius reliquæ post Baptismum ceu materia belli & victoriæ fortibus relinquantur, ignavis autem & fœcordibus vt messis ignominia, & seges confusionis æternæ, qui videlicet aut noluerunt, aut nesciuerunt armis & auxilijs ijs vti, quibus infinita bonitas nos munit ac instruit, vt videlicet in nobis ipsis decertantes, victoriam illustrem de nobis ipsis referamus. Nunc de peccato actuali quæpiam etiam dicenda sunt.

De peccato mortali & veniali.

COLLOQUIVM LXXV.

PECCATVM actuale, quod secundum membrum diuisionis peccati antea à nobis illata constituit, ita appellatur, quod ab actione speciali libera nostræ voluntatis proficiscatur, quod de ori-

THEO.

Peccatū

actuale.

de originali, nequaquam dici potest. Nam etsi in persona Adami reapse actuale sit, quippe qui id animo deliberato perpetrarit, in posteris tamen tale esse non potest, qui ad id actionem voluntatis suæ nullam omnino adferunt aut attulerunt. Hoc rursus in mortale & veniale recepta distributione partimur. Mortale dicitur quod spirituales animæ mortem affert, eamque gratia Dei, quæ vita illius est priuat, regno cælorum spoliat, & æternorum suppliciorum ream efficit. De hoc Scriptura sacra loquitur

Rō. 6. 23. ad Romanos 6. *Stipendium peccati, mors,* & *Sapient. 1. Iniustitia autem mortis est acquisitio. impij autem manibus & verbis accerserunt illam.*

Tob. 12. 9 Item Tobia 12. c. *Qui autem faciunt peccatum & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.* & *Sapient. 16. Homo autem occidit per malitiam animam suam,* & *Ezechiel. 18. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* & *Iacob. 1. Peccatum commissum generat mortem,* id est, mortem spirituales.

Pel. c. 3. Peccatum vero veniale leuior noxa est,

est, quod tamen per motum propriae voluntatis admittatur, animam tamen gratia Dei non spoliatur, nec diuinæ Maiestati infestam reddit, & nequaquam hominem filium Diaboli facit. De hoc Scriptura etiam in compluribus locis loquitur. *Peccatū veniale.*

Ioan. 1. *Si dicimus quod peccatum non habemus, nosipfos seducimus, & veritas in nobis non est.* & Iacob. 3. *In multis enim offendimus omnes.* & Iac. 3. 2. *Iustus septies in die cadit & resurgit.* Quae loca de peccato veniali accipienda sunt: nam si cum haereticis omnia peccata mortalia appellauerimus, & quod de iusto septies in die cadente dicitur, de mortali peccato dici, constituerimus, illud reuera consequetur, ut vniuersum mundum ad desperationem adigamus & condemnemus, nec enim facile ex hac vita migrare possumus absque istiusmodi aliquius admissione: adde, quod infigne etiam mendacium, & euidenter contradictionem admitteremus, nam homo septies in die mortaliter impingens, tantum abest ut iustus

iustus haberi aut appellari debere videatur, improbus est & sceleratus. Sapiens ergo hoc loco leuem aliquem facilemque offensam intelligit, vt verbum ociosum, cogitationem vanam, & paruum negligentiam, similiaque leuia errata, quę peccata tamen sunt. Et quamuis istiusmodi illa sint facile vt veniam promereantur, sollicitę tamen annitendum est, sicut bene Diuus

*S. Aug. l.
de decem
chord. c.*

11. Psal.

129. ser.

244.

tract 12.

in Ioan.

Apoc. 21.

27.

Psal.

14. 2.

Eccl. 19.

1.

Ib. 3. 27.

Eccl. 9.

18.

Ephes. 4.

30.

Augustinus de decem chordis cap. 13. & in Psalm. 120. docet, vt ea vitemus ac declinemus, non tantum quia ratio de ijs reddenda erit, & poenitentia vel in hoc mundo, vel in purgatorio de ijs exigetur, cum nihil inquinati cælum introire possit, sed etiam quia peccatis mortalibus viam sternunt, adiutumque patefaciunt, quemadmodum sæpenumero Sapiens docet: *Qui spernit modica, scilicet peccata, paulatim decidet. Qui amat periculum peribit in illo. Qui peccauerit in vno, multa bona perdet. Quia videlicet hæc peccata instar frigida sunt, in ferrum candens coniecta*

icetæ, instar pulueris in oculos
 sparsi, instar fumi in faciem immis-
 si, quia calorem spirituales immi-
 nuunt, pulcritudinem animæ de-
 turpant, & vt verbo Diui Pauli
 vtat, Spiritum sanctum contristant,
 cumque à deliberato ac prudenti a-
 nimo proficiscantur, manifesta pla-
 nè euidentiæque argumenta sunt, a-
 nimæ humilis, abiectæ, & pretium
 suæ perfectionis floccifacientis.
 lam quod ad peccatum mortale at-
 tinet, id quemadmodum diximus,
 ideo tale fuit appellatum, quia ni-
 mirum mortem animæ affert, ei-
 que vitam suam, quæ gratia diui-
 na est, eripit atque extorquet. Et
 hæc mors vera mors est hominibus
 que propria: * nam bestia, cum li-
 bero arbitrio destitutæ sunt, sine
 quo peccatū nullum incurrere pos-
 sumus aut designare, hanc etiā mor-
 tem perferre subireque non pos-
 sunt, quæ in solam animam per pec-
 catum introducit, vnde inter
 omnes etiam creaturas corporeas,
 vnus homo mortalis non imme-
 rito videtur esse appellatus: vt vi-
 deli-

Chrysof.

hō. 87. in

Matt. &

hom. 8. 1.

epi. Cor.

& in ser.

de leuiti

pecc. pe-

riculis.

Bernard.

ser. 1. de

conuers. S.

Pauli, &

tract. de

prac. &

dispens.

cap. 14.

Solus ho-

mo mor-

talis di-

citur.

** Bestia*

liberum

arbitriū

non ha-

bent.

delicet proprio suo nomine ad se humiliandum excitetur, intelligens non modo puluerem se esse, sed quod haud aliquanto peius est, etiam peccatorem: per mortem enim corpoream illud consequimur, ut bestijs & earum necessitati annumeremur, dum videlicet aquè ut illæ morimur, at per peccatum eò deuenimus, ut infra bestias etiam abijciamur ac deuoluamur. Hæc animæ mors millicis ac millies corporea illa deformior est, quod compluribus rationibus ibimus comprobatum. Primò quia origini & sententiæ ipsius turpitudinis proximior est, nam sicut quo vicinius quid igni est, hoc calidius feruentiusque est, & quo nigredini quis coniunctior est, hoc plura eammutatur, ita qui peccato proximior viciniorque est, foedior ac magis deformis est. Iam autem mors animæ immediatè peccatum consequitur, quemadmodum vulnus letale mortem corpoream subsequi necessum est: & ideo quemadmodum paulo ante diximus, simul ac Adam

Inobedientiæ peccatum admisit,
 mortem animæ suæ intulit, id est,
 gratia diuina spoliavit. Secundo
 mors ista spiritualis longè foedior
 est, quia in anima, parte omnino ex-
 cellentissima est: nam quemadmo-
 dum tanto deformiorem plagam
 aut vulnus aliquod esse arbitra-
 mur, quanto nobiliori parti id infli-
 gitur, ita mors hoc foedior existi-
 manda est, quo nobilius subiectum
 destruit atque corrumpit. Vulnus
 aliquod (ait Aristoteles) brachio,
 pedi, aut alteri parti ignobiliori in-
 flictum, minus pulcritudinem im-
 minuit, at si quod in facie, in oculis,
 in naso conspiciatur, id hominem
 totaliter deturpat atque deformat.
 Itaque morbus, vulnus, ac mors ista
 spiritualis infinitis partibus corpo-
 rea illa terribilior est, quia videli-
 cet parti longè pulcherrimæ, & quæ
 ipsius pulcritudinis imaginem ha-
 bet, infertur. Tertio mors illa ex-
 tremè foeda est, quia viua peccati
 effigies est, quod turpitude ipsa
 cum sit, & ex diametro supremæ
 bonitati ac pulcritudini oppona-
 tur,

1. Reih c.

14. G. l.

de somn.

1. 2.

tur, eam generat atque producit:
sic ergo quemadmodum DEVS
ipsa pulcritudo est, ita peccatum
contra ipsa foeditas & turpitude.
Iam mors rei cuiuspiam vita præ-
ditæ generalis turpitude est, quia
videlicet omnes illius partes de-
format atque deturpat: hæc pri-
uatio diuinæ gratiæ, & peccati
similitudo animæ impressa, mors
illius est, & vniuersaliter eam
corrumpit atque defoedat. Specia-
lis porro turpitude illa dicitur,
quam membrum tantum aliquod,
manus, facies, oculi, & aliæ par-
tes afficiuntur, & hæc deformatio
aut ex mala qualitate proue-
nit membrum istud deturpante,
aut ex inepta illius collocatio-
ne, aut non recta dispositione. Pec-
catum per priuationem istam quam
operatur, conspurcat & foedat om-
nes omnino animæ partes, eas
disijcit, & ad alium locum è suo
transfert, occæcat namque In-
tellectum, voluntatem depravat,
memoriam corrumpit, cornua pal-
sionibus addit & effrenes facit

sensum communem & imagina-
 tionem lædit, & denique præter
 ingentem confusionem, unicuique
 parti malignitatis suæ turpitudi-
 nem deformitatemque imprimit.
 Accidit his alterum punctum de-
 formitatis infamis & obscæna
 partium traiectione ac dispositio:
 qua haud scio quid quamve foe-
 dius absurdiusque possit reperi-
 ri; nam sicut perfecto accurato-
 que rerum ordine nihil pulcrius
 decentiusque est, ita contra ni-
 hil turpius ac deformius est, quam
 ubi ordo negligitur, & in condi-
 tum quoddam contra Chaos con-
 fusioque infertur. Iam quemadmo-
 dum prodigiosum in familia qua-
 piam merito existimaretur, si pe-
 dissequa in Matrem familias im-
 perium affectaret sibi que arroga-
 ret, & in schola haud parum mon-
 struosum esse videretur, si disci-
 pulus Magistro imperare, si in
 corpore naturali, pes oculorum,
 nasus aurium, manus dentium
 officio fungi vellent: ita om-
 nis ista deformitas & turpitude per
 pec-

peccatum in animam inuehit. et pulcherrimaque illa spiritualis Reipublica turpissimè corrumpitur & deprauatur.

Declaratio superiorum, id est, peccatum animæ pulchritudinem corrumpere: de quæ Idololatria.

COLLOQUIVM LXXVI.

THEO. **V**ERVM quo aliquanto luculentius ea quæ hætenus de peccati turpitudine allata sunt comprobemus, & quomodo illud animam totaliter perdat corrumpatque manifestè demonstremus, admodum mihi placet id peccati alicuius exemplo in particulari asserere, & Idololatriæ flagitio disertè primo præcepto contrario apertius declarare. In hoc ergo omnes illæ animæ deformitates supra adductæ & recensitæ, mirum est, quam euidenter pateant & elucescant: nam & intellectus eo occaecatur, & voluntas peruertitur, & memoria labefactatur. Quæ enim maior humani iudicij ac intellectus depr